

potheticè tentando, num observationibus motur in curva elliptica responderet, quod posteaquam feliciter inventum fuit rectè procedere, ab hypothesi ad thesim descensum est. Sic Hugenius detecta irregulari figura Saturni, nunc orbicularis, nunc arcuati apparentis, anasarumque latitudinem et contrahi et produci; annulo circumdatum posuit, qui juxta diversas ad oculum positiones hæc ederet phænomena; quod postea feliciter inventum, ac omnibus observationibus satisfacere animadvertum fuit; atque adeò inter pacta conventa astronomiæ physicæ ab omnibus recensetur.

DISSERTATIO I.

DE CORPORIS NATURA, EJUSQUE PROPRIETATIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De notionibus generalibus corporis.

14 Corporis nomine, ut in Metaph. art. 252 docuimus, id intelligimus, quod sensus nostros quoquo modo afficere valet. Inibi etiam reliquas notiones metaphysicas ad corporis naturam spectantes tradidimus, quas recolere eadem repetamus. Ceterum *materia*, *substantia materialis*, *corporis* notiones hic luculentius explanare oportet, prout ad physicam considerationem magis accedunt. Quamvis enim in suo conceptu abstracto fere idem objectum representent, ac promiscuè etiam plerumque adhibeantur, non abs re erit ideas ipsi respondentibus enucleare.

15 *Materia* notio abstracta est, neque ullam præ se fert notam, qua aliquid determinatum concipiamus: unde Aristoteles non incongruè illam describit in lib. 1. Phys. tex. 82. "Dico materiam primum subjectum uniuscu-

jusque, ex quo fit aliquid, quum insit non secundum accidens." Materiam enim concipimus illud, ex quo aliquid fit, quod in sua notione nihil determinatum præsentat, debetque ab alio in individua alicujus entis specie collocari. *Substantia materialis* notionem minus abstractam indicat, ut sit veluti portio materiæ per se subsistentis, ac sensus nostros afficientis. *Corporis* vero idea conjunctionem substantiæ materialis in determinata jam specie constitutæ semper repræsentat. Hinc elementum seu atomus materia quidem dici potest, corpus verò non potest. (Meth. 253.)

16 Per naturam tam materiæ, quam corporis hic intelligo proprietates illas conspicuas, quibus nobis repræsentamus tam substantiam materialem, quam corpus; nihil solliciti, quænam essentia sit materiæ, aut corporis, quod in quæstiones inextricabiles nos immergeret nullo scientiæ physicæ emolumento. Id enim experientia comprobamus quotidiana, post longas concertationes de rerum definitionibus, ac essentiis, ignotum remanere ac indissolutum objectum controversiæ; perindeque omnia postea incedere, ac si nihil statutum fuisset.

17 Elementa corporum triplicis generis distinguo: metaphysica, insensibilia, ac figurata. Primi generis sunt principia metaphysica illa, quæ tot sæcula exercuerunt recentium Peripateticorum ingenia, ut corporis tam in *fieri*, quam in *facto esse*, ut aiebant, principia investigarent. *Insensibilia* voco materiæ atomos, seu particula, ex quibus substantiæ compositæ coa-

lescunt; quas simplices esse, ac insectiles, Metaph. art. 169 ostendimus ex principiis art. 85 præjactis. Figurata demum, seu, ut alii vocant, *mechanica*, particula illæ sunt, quæ ex resolutione corporum extrahuntur, nec vi humana ad ulteriorem transformationem adduci possunt.

18 Corol. In notione igitur corporis, prout à nobis concipitur, tria hujusmodi principia facillè discernuntur. Si enim corpus in statu abstracto consideremus, prius materiam, ex qua fiat, nullis modificationibus affectam nobis repræsentemus, oportet, quæ deinde ad determinatam corporis speciem transeat per elementorum coagmentationem, è qua illius configuratio seu *forma substantialis*, corpus in tali specie collocans, derivatur. Deinde quoniam omne compositum è simplicibus oriri debet, (Metaph. 85), pronum est, omnia corpora ex insensibilibus atomis, seu elementis coalescere. Demum hujusmodi simplices substantiæ aciem sensuum nostrorum fugientes, nisi ad molem sensibilem adducantur, sensus afficere non possunt; undè in eo statu, quo primum conspicuæ nobis exhibentur, *mechanismi* corporum principia esse dicimus.

19 Rursus corpora aut *simplicia* sunt, aut *mixta*. Simplicia vocamus, quæ unius tantum generis molleculis coalescere videntur, ut lux, aer, ignis. Mixta ex aliis heterogenies corpuculis coagmentantur. Partes corpus constituentes, aut *essentiales* sunt, ex quibus in tali specie constituitur; nec sine illis concipi potest, ut molleculæ lucis è septena configuratione dispo-

sita: aut *integrantes*, quæ molem augment, aut minuunt, quælibet tamen perfectam corporis rationem includit. Hinc remotis ab invicem partibus essentialibus, talis species corporis dissolvitur; non item si removeris integralia.

20 Sunt etiam species aliæ corporum generaliores, putà solida, fluida, liquida, mollia, dura. Quorum partes constanti nexu adhærent, *solida* dicuntur: *fluida* verò particularum volubilitate insignia sunt, ut aer, ignis, lux. *Liquida* illa vocamus, quæ quum fluida sint, in sensibilem massam conflantur, atque ad libellam componuntur, putà aqua, oleum, metallam fusa etc. Hinc omne liquidum fluidum est, non item contra, nisi poetis, quibus quilibet audendi semper fuit æqua potestas. Corpus *molle* medium quoddam est inter solidum, ac liquidum de utroque participans, ut lutum. *Durum* hic pro corpore resistente sumitur, quod *solidum* in sua notione non includit. Caro solida est, non tamen dura: utrumque ossibus convenit.

CAPUT SECUNDUM.

De principiis corporum.

21. Statutis jam notionibus triplicis generis principiorum, quæ art. 17 dedimus, historice hic magis, quàm disputantes dabimus, quæ de principiis corporum commentum sunt philosophi. Et primo quidem quod ad principia illa metaphysica attinet, res tanti momenti non erat, quæ tot concertationes excitare deberet.

Perspicuum quidem est, antequam corpus concipiatur in natura sua constitutum, materiam nos intelligere in *abstracta* sua notione, nulla configuratione insignem, ac proindè forma carentem: deindè quum jam est modificationibus quasi perpolitata, in aliqua corporum classe collocatam intelligimus. Unde *materiam*, ac *privationem* formæ corporis faciendi, seu *in fieri* principia dixere peripatetici arabes; *materiam* autem et *formam* corporis jam facti, seu *in facto*. Hæ sunt notiones abstractæ, quas per me asserant, licet, peripatetici: illis enim nullus contradico.

22 Ad formam substantialem peripateticorum quod attinet, verbis quidem pugnare, ratione autem cum recentibus philosophis convenire puto, ut in *Metaphysica*, ubi de anima brutorum disserui, apertis verbis edixi. Quocumque enim te vertas, *substantialem* illam *formam* de *potentia*, ut aiebant *materiæ eductam* puræ: putæ sunt *materiæ*, seu *substantiæ* modificationes, vi quarum in peculiari corporum classe constituitur. Quid enim, amabo, eductio illa aliud esse potest, quam transmutatio elementorum ab uno ad alterum statum? Ni ita esset, causis secundis virtus creandi, atque in nihilum reducendi competeret; quod dogma philosophorum omnium auctoritate firmatum ab humani generis exordio convelleret: "E nihilo nihil, in nihilum nihil posse reverti." Nam si aliud præter elementorum *materiæ* mutationem causæ creatæ producere possent, substantiam aliquam producerent, quæ non erat:

hæc autem genuina notio creationis est; creandi igitur virtute pollerent. Distinctio autem illa ex nihilo sui, et ex nihilo subjecti mera verba sunt, quæ nihil dicunt, nisi id, quod controvertitur. Quod enim est producere ex præsupposito subjecto? estne novam substantiam producere, aut latentem educere? Si primum dixeris, creatio est: si alterum, in modificationes recentiorum incidis, nisi de verbis contendere placeat. Sed hæc hactenus.

23 Ad elementa seu principia physica, et mechanica venientes, celebriores philosophorum sententias, quas jam in historia philosophiæ, tomo primo operis præfixa, delibavimus, hic exponemus, omissis aliis quæ, ut opinionum commenta, delevit dies. Thales Milesius, sectæ joniciæ princeps, aquam dixit corporum omnium mechanicum principium. Exoleverat omnino hujusmodi opinamentum, quum Vanhelmontius Bruxellensis è pulvere illud excitavit celebri illo experimento. Summa diligentia terram exiccatam, atque ad lancis fidem pondere prius examinato ad 200 libras, in vase occlusit, meatibus tantum relictis, ut aquam, et aerem exciperet ramus salicis 5 lib. in eodem plantatus. Deinde postquam magnum incrementum ramus acceperat, ponderata de novo fuit terra, et ejusdem inventa ponderis, quod primum habuerat: undè totum illud incrementum salicis ad 169 lib. et circiter uncias tres; sive 164, detractis 5, primitivi ponderis; nec tamen in eo incremento computatis foliis, quæ totis quatuor autumnis deciderant,

aquæ tribuendum deduxit Vanhelmontius, ac proinde omnia corpora ex aqua tamquam principio, aere tamquam vehiculo coalescere cum Thalete posuit. Debuerat tamen magnam illam copiam salium, oleorum ac terræ imperceptibilis computare, quæ in aqua semper delitescit, ac vegetantia omnia alere, ac nutrire comperitum est. Magnam etiam copiam in aere hujusmodi corpusculorum ultro citroque vehi, res est physicis notissima, quæ per poros foliorum, maximè humente cælo, in plantas transmeare expertus est Hales, ut legere licet in libro, quem *Vegetabilium staticam* appellavit.

24 Empedocles atque Aristoteles terram, aquam, ignem, aerem pro corporum principis sensibilibus statuerunt, quorum postremis hisce temporibus opinionem Honoratus Frabri è Soc. Jesu illustravit atque, ut ait Para, qui et ipse calculum adjungit, mirum sanè videbitur, post recenter observata à Boylæo, Halesio, Bechero, Sthelio, et à superiorum ætatum celebrioribus physicis et chemicis, nunc quoque admittenda esse tamquam principia corporum quatuor illa elementa, quæ Empedocles, et Aristoteles talia esse indicaverant tot sæculis, antequam chemicæ cognitiones illuxissent ad hanc veritatem confirmandam necessariæ. Enimverò quacumque ratione chemia corpore dissolvat, ac dividat, nihil ex his unquam præter quatuor hasce substantias eduxit. Initio quidem ac in prima analysi, puræ simplices aliæ ab aliis sejunctæ non obtinentur: at quæ à primis separationibus habentur, ite-

rum, atque iterum analysi subjectæ, tandem nihil aliud exhibent, nisi quatuor hasce substantias, quæ fortassè nondum simplices, tamen ultimus sunt chemicæ analysis terminus; nec ars ulteriorem analysim exhibere valet.

25 Leucippus, Democritus, atque ab eis Epicurus atomorum systema primi invenerunt; quod postea erroribus contra fidem purgatum Petrus Gassendus, Cartesii coævus, illustravit. Illi atomos aternas increatas, numero infinitas, vacuo interminato volitantes, fortuita concursione et conjugatione, nullo Conditoris supremi interventu, mundum adspectabilem formantes finxerunt. Gassendus autem catholicè sentiens, atomos posuit, à Deo in tempore creatas motu, figura, mole inter se discrepantes. Deinde proprietates; ac mutationes omnes, quæ corporibus accidunt, ex prædictis qualitatibus atomorum provenire contendit. Demum ut spatium perenni concursioni, ac motui atomorum relinquat, *vacua* exigua per internas commissuras *disseminata* admittit, sine quibus motum commodè haberi non posse, in Cartesii systemate mox observabimus. Atomistis ferè arrisit Newtonus; nonnihil tamen discriminis Sueur et Jacquier in notis ad ipsius regulas designant. Atomistæ, inquit, necessario et metaphysicè atomos esse indivisibiles volunt, ut sint corporum unitates: metaphysicam hanc quæstionem missam facit Newtonus, et huc redit ejus sententia: si illæ partes quas Deus condidit indivisas, quæque ideò sunt corporum physica elementa, seu physica

monades frangendo dividerentur, tunc exinde edocti statueremus eas posse dividi, ideoque ulterius ulteriusque sine fine divisibiles esse diceremus. Quod quidem huc recidit, Newtonum physicè insectiles atomos posuisse, nihil de earundem metaphysica simplicitate sollicitus, quam certè experientia comprobare non potest; è qua tamen decidendam quæstionem voluit Newtonus.

26 Cartesii placita, jam in historia philosophiæ indicata, ejus verbis exponere juvat. "Ac primò quidem, inquit, constat omnium mundi corporum unam, et eandem esse materiam in quaslibet partes divisibilem, et jam re ipsa in multas divisam, quæ semper eandem motus quantitatem in mundo conservant. At quàm magnæ sint istæ partes materiæ, quàm celeriter moveantur, quales circulos describant, non possumus sola ratione determinare..... Itaque supponemus omnem illam materiam, ex qua hic mundus adspectabilis est compositus, fuisse initio à Deo divisam in particulas quam maximè inter se æquales, et magnitudine mediocres, sive medias inter illas omnes, ex quibus jam coeli, atque astra componuntur, easque omnes tantundem motus in se habuisse, quantum jam in mundo reperitur, et æqualiter fuisse motas, tum singulas circa propria sua centra, et separatim à se mutuo, ita ut corpus fluidum componerent, quale cœlum esse putamus: tum etiam plures simul circa alia quædam puncta æquè à se mutuo remota, et eodem modo disposita, ac jam sunt centra

fixarum, necnon etiam circa aliquanto plures quæ æquent numerum planetarum.

„Quum autem nullibi spatia omni corpore vacua esse possint, cumque rotundæ ille materiæ particulæ simul junctæ perexigua quædam intervalla circa se relinquant, necesse est ista intervalla quibusdam aliis materiæ ramentis minutissimis, figuras ad ipsa implenda aptas habentibus, easque pro ratione loci occupandi perpetuò mutantibus, impleri. Nempè dum earum materiæ particularum, quæ fiunt rotundæ, anguli paulatim atteruntur (*eas enim initio sphericas noluit ponere, ne vacuum quodcane pejus et angue horret, in natura locum habere*) id quod ex ipsis eraditur adeò est minutum, et tantam celeritatem acquirit, ut sola vi sui motus in ramenta innumerabilia dividatur, sicque impleat omnes angulos, quos aliæ materiæ particulæ subingredi non possunt.

„Jam itaque duo habemus genera materiæ valde diversa, quæ duo prima elementa hujus mundi adspectabilis dici possunt. Primum est illius, quæ tantam vim habet agitationis, ut aliis corporibus occurrendo in minutias indefinitæ parvitatibus dividatur, et figuras suas ad omnes angulorum ab iis relictorum angustias implendas accommodet. Alterum est ejus, quæ divisa est in particulas sphericas valde quidem minutas, si cum iis corporibus, quæ oculis cernere possumus, comparentur, sed tamen certæ, ac determinatæ quantitatis, et divisibiles in alias multò minores. Tertium

constat ex partibus vel magis crassis, vel figuris minus ad motum aptas habentibus. Ex his tribus omnia hujus mundi adspectabilis corpora componi ostendemus: nempe solem, et stellas fixas ex primo, cælos ex secundo, terram cum planetis, et cometis ex tertio.

Princip. part. 3.

Habes basim Cartesiani systematis, quod ut ingeniosè inventum, ac philosophicis luminibus ornatum ubique sit, plura gratuito supponit, non faciliè in physicis admittenda, 1. Vacuum impossibile esse in natura. 2. Spatium et corpus idem esse: ac proinde ubicumque spatium concipimus, sine corpore intelligi non posse. 3. Eandem in mundo quantitatem motus perseverare. 4. Motum sine vacuo dari posse. 5. Si materiæ ramenta attritu continuo ab exordio mundi invicem agunt, motus quantitate eadem permanente, tota quanta est materiæ moles in materiam primi elementi devenisset, nihilque secundi, ac tertii elementi ampliùs remaneret.

27 Principia chemica illa dicuntur, quæ ope resolutionis, igne admoto, obtinentur. Chemici in id incumbunt præcipuè, ut menstruis dissolventibus, igne, calore mixta (19) resolvant in ea elementa sensibilia (17), quæ intus latentia eorum substantiam componunt. Quinque principia ipsis solemnita sunt *mercurius, sulphur, sal et cum phlegmate terra. Mercurius* ipsis est substantia subtilissima, penetrans maxima sua mobilitate corpora, è cujus energica vi incrementum vegetationis præcipuè de-

rivatur, ac proinde vegetationis principium est, *Sulphur* vocant non quod vulgò intelligitur, sed substantiam, quæ inflammabilis sit, pinguis, odora, è qua præcipuè inflammatio, ac odores corporum proveniunt; necnon temperies corporis, colorum varietas, pulchritudo, ac saporibus etiam variandis inservit. "*Sal* vocatur corpus, quod aqua potest dilui, igne autem fundi si non avolat prius in auras; quodque gustum humanum afficere valet eo sensu, quem saporem appellant," inquit *Boheravius*. Plures salium species distinguunt: *fixum* non facile ad ignem evaporatur; *volatile* autem minima ignis actione in auras evanescit. *Acidum* linguam vellicat, aceti instar. *Alcalicum*, ab ægyptiaca herba *Kali*, è qua magna copia extrahitur, nomen desumptum, acido permixtum effervescentiam excitat. *Neutrum sal* olim dicebatur quod justis partibus acidi, et alcalici constabat, ut sal commune, quo condiendis cibis utimur, nunc fere intelligunt acidorum genus substantiis terreis ac metallicis conjunctum. Ceterum infinitum foret salium species inferiores describere. *Phlegma*, seu aqua, est substantia insipida, inodora, fluida, ac nunquam inflammabilis. Deum *terram*, seu caput *mortuum*, substantiam fixam, aridam, prorsus inertem, ac gravem nuncupant, è qua soliditatem, ac pondus corporibus accedere credunt elementares chemici.

28 Quam verè à poeta Venusino dictum sit, *multa renascentur, quæ jam cecidere*, *Anaxagoræ Homeomeria* seu partium *similiarum*

systema demonstrat. Stili variandi gratia, *Lucretii* verbis *Anaxagoræ* sententiam exponam:

Nunc et *Anaxagoræ* scrutemur *Homeomeriam*,
 Quam græci memorant, nec nostra dicere lingua
 Concedit nobis patrii sermonis egestas:
 Sed tamen ipsam rem facile est exponere verbis,
 Principium rerum quam dicit *Homeomeriam*:
 Ossa videlicet è pauxillis, at minutis
 Ossibus: sic et de pauxillis, atque minutis
 Visceribus viscus gigni, sanguisque creari,
 Sanguinis inter se multis coeuntibus guttis
 Ex aurique putat micis consistere posse
 Aurum; et de terris terram consistere parvis,
 Ignibus ex ignem: humorem ex humoribus esse.
 Cætera consimili fingit ratione, putatque.

Rem in cortice deprehendisse *Lucretium*, si
 Param audiamus, ex impugnatione, quam sub-
 nectit *Homeomeriæ*, manifestum est; quin re-
 conditum sensum enuclearet. Nam id demum
Anaxagoras docebat, in materia partes similes
 se attrahere, atque conjungere: ex quibus affi-
 nitate quadam interveniente, diversæ in corpo-
 ribus partes coagmentarentur. Corpus humanum
 ex. gr. formatur, et viget, quia alimenta, qui-
 bus alitur, partes continent omnino similes in-
 tegrantibus partibus sanguinis, venarum, os-
 sium, nervorum etc. Particulæ hæc *similares* ali-
 mentis mixtæ, et cofusæ per corpus humanum,
 postquam à chylo in sanguinem transeunt, dis-
 currunt, ac partibus similibus adherescunt,
 unde nutritio, vegetatio consequatur. "Pote-

ratne humana mens, inquit laudatus Para, Anaxagoræ ætate quidpiam hac hypothese elegantius excogitare? Si nondum in hac vera physica è tenebris emersa apparet, hic jam elucet præter Dei naturæ Auctoris actionem, magni Newtoni attractionis germen, tum chemicarum affinitatum, et mollecularum organicarum celebris Buffonii."

29 Paucis abhinc annis in lucem prodiit italicè redditus opus, quod de *Origine Mundi*, ejus auctor Joannes Walerius natione suecus nuncupavit, ac lingua patria anno 1779 publici juris fecit. In eo totus est Walerius, ut probet, è duobus principiis tantum rerum universitatem trahere originem, luce nimirum ac materia. His autem simul mixtis, atque intestino motu sese agitantibus (Metaph. 190), fluidum quoddam corpus componi ait, quod aquam esse pronunciat. Ut autem recto tramitè procedat, prius lucem ab igne distinguit, ac lucem sine igne et calore dari, esseque naturam quamdam peculiarem ab igne, et calore distinctam propugnat. Ignis siquidem, Walerio auctore, è peculiari lucis, et materiæ compositione dimanat, è quorum concitatione calor et combustio procedunt, quæ in phænomenis naturæ animadvertimus. Hinc solem ac solis radios puram lucem esse contendit ab ignis natura prorsus diversam, ab eorum tamen percussione phlogiston, seu compositum illud è luce, ac materia coagmentatum excitatur, quod ignem vocamus, è cujus majore aut minore motu gradus caloris proveniunt. Ad aquæ proprietates explicandas

gradum facit: assertitque in sua primæva puritate omnia sapore, odore, ac colore destitui: in aerem transformari ac terram experimentis ac ratione probare nititur: unde velut universum solidorum omnium principium illam cum Thalete ac Helmontio proponit.

Hæc quasi lemmata Walerio sunt, ut originem mundi describat; quam religiose profitetur à narratione libri Genesis minimè discrepare debere, si juxta veritates principia philosophandum sit. Quod igitur initio ponit Moyses *cælum, ab terram creata: lucem, et materiam* intelligit, è quarum mixtione fluiditas materiæ provenit, atque aquarum sunt origo, quarum statim meminit historia, quin earundem productionem antea narraverit. Deinde separavit Deus è massa illa aquosa, seu abyssu tenebris sepulta, partem illam lucis corporibus luminosis formandis aptam, ac motum vertiginis, seu *rotationibus*, quod ajunt, indens materiæ viribus *attractivis, ac retractivis* simul donatæ, vi cujus noctium ac dierum vicissitudo alterna vice procederet. Hoc rotationis motu, quin centrum gravitatis materiam adhuc devinciret, peracta est concretio particularum in diversas massas coalescentium majore, minoreve cohæsione, è qua densitatum varietas in corporibus solidis derivatur.

Firmamenti seu *expansionis* nomine, ut hebraicè sonat, extensionem illam Walerius intelligit, per quam corpora planetarum omnium, secundum diversa systemata universum componentia, Creator supremus distribuit, nondum

tamen peculiari adhuc centro de vinctorum: hoc enim quarto demum creationis die factum est, quum è luce solem ac stellam formavit Deus: quæ è purissima lucis materia constare, auctori nostro videntur, ignea materia atque calore destituta. Hoc autem quomodo cum maculis solaribus, quas telescopiis fere quotidie observamus, conciliari queat ægrè concipio. Demum ærem ex illa materia aquosa vertiginis motu concitata, excusam fuisse contendit, atque in aquam, ac terram subinde transformari, quemadmodum et hæc in ærem sæpius transire, Walerius non dubitat. Hæc brevis quædam ejusdem systematis est explanatio, prout ad præsentem tractationem spectat, in qua tamen nec temerè omnia rejicias, nec sine ulteriore discussione prorsus vera pronunties.

30 Corol. Ex dictis manifestè deducitur, parum utilitatis in hujusmodi disquisitionibus inesse; quippe post tot sæcula investigationis nihil hactenus inventum est, quo melius intima rerum principia cognoscantur. Hoc unum magis ad veritatem accedere videtur materiam, ac modificationes ejusdem corporum varietatem componerè; ac proindè hæc tantum velut principia physica corporum esse admittenda. Nequè dicas, tum differentiam accidentalem tantum inter corpora specie diversa intercedere, quum ab accidentibus solum discriminentur. Hujusmodi enim argumenta sunt apta nata ad contentiones æternum promovendas, quin hilum ad scientiarum profectum, aut nostrarum cognitionum thesaurum adeaugendum con-

ducant. Voca substantialem, voca accidentalem, voca modalem diversitatem, ad rem nihil interest: verborum, non rerum est controversia. Modificationes materiam ita afficiunt, ut maximam diversitatem, non solum quoad configurationem, verum quoad proprietates etiam intrinsecas compositorum inducant. Si hoc sufficere non potest, ut substantialem diversitatem vocitemus, dicito accidentalem: hoc quidem nomine nihil aliud exprimes, quam quod ego differentiam substantialem pronuntio.

31 Schol. Corporum principia materiam ac modificationes admisi: nam de compositis animantibus aliter loquendum est. In composito humano, atque idem dicendum de quibuscumque animantibus; præter materiam ac modificationes adjungendum est principium illud vivens, cujuscumque demum speciei sit, cum quo materia modificata *totum* illum constituit, quod hominem etc. vocamus. Hæc adeo sunt perspicua, ut tempus in his disputandis, aut probandis consumere ineptum sit. "Nam ego, ajebat Cotta in 3. de Nat. Deor. cap. 4, neque in causis, siquid est evidens, de quo inter omnes conveniat, argumentari soleo: perspicuitas enim argumentatione elevatur: nec si id facerem in causis forensibus, idem facerem in hac subtilitate sermonis."